



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
 urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-236576100-16



M A N S F E L D I A C O M I T A T V S



Omitatus Mansfeldiae superiori Saxoniae innexus est, inter Salam & Wip-
peram fluvios. Veteris itaque Saxoniae portio nomen habere putatur à
Manno secundo Germanorum Rege, cum Mansfelt nihil aliud sonet, quam
Manni campus. Eam etymologiam stabilire videtur Ascania, locus huic pro-
ximus, quem Ascenez Germanorum patris nomen referre nonnullis perfa-
sum est. Est hic prope etiam Ascherleben, quasi dicas Aschenez domum,
& lacus ejusdem nominis. Ab Oriente Salam fluvium habet, territorium *Terminal.*

Magdeburgensis Archiepiscopi, & diecepsin Merseburgensem. Thuringia à Meridie est, ab Oc-
cidente Comitus Swartzeburgensis, Stolbergensis, necnon Principatus Sangerhusius, Anhal-
tinus, & Asseburgius. His itaque Comitibus Principibusque cingitur, Archiepiscopo Magdebur-
gensi, Episcopo Merseburgensi, Electore Saxoniae, Langravio Thuringiae, Duce Saxoniae, Epi-
scopo Halberstadiensi, Principe Anhaltino, Domino Berburgensi, Comite Swartzeburgensi, &
Stolbergensi, Domino à Werther, & Domino ab Asseburg. Quando hęc regio, aut à quibus titu-
lo Comitatus insignita sit, incertum. Antiquitas tamen ejus ex eo evincitur, quod ejus Comes *Antiquitas.*
Hegerus nomine, illius celeberrimi Arturii Britannorum Regis coetaneus fuerit, atque una
cum ceteris hujus Regis Heroibus, mensam, quam vocant rotundam celebraverit. Vixit hic
Arturius circa annum Christi 545. Quod si cui hęc de Tabula rotunda historia nimis fabulosa
videatur, exstat nihilominus in Anglia Regni meditullio fere, oppidum Mansfelt dictum, situm
inter fluvium Trentam & Rotheram, non procul ab urbe Notingam.

Continet hic Comitatus in se quatuor alios Comitatus, Arnstet, Wipra, Wethin, & Quernfurt.
Hi olim proprios habuere Comitatus, nunc uni Mansfeldiae Comiti obnoxii. Est quoq; hic Pa-
latinatus Saxonicus, alioq; Principatus. Vrbes habet primarias Mansfelt, Eisleben, Wipram & Leim-
bach. Mansfelt à Comitatu ipso nomen habet, cui proxime adiacet Leimbach; Wipra sequimi-
liare abest, à fluvio Wipera nomen habens, Eislebia uno. Omnia maxima Eislebia, qua à me-
tallis, quorum illic ingens proventus nobilitata est. Eruuit enim prope eam lapis niger fossilis,
lithanthracum facie, qui excoetus igni, as fundit, magno civium & aliorū incolarum lucro, quod
acervi scoriarum & recrementorium ingentes demonstrant. Lapis ille fissus in scindulas, varias re-
präsentat formas, anguillarum, carpionum, ranarum, gallorum quoq; & salamandrarum, da-
dalo naturae opificio. Arx urbis satis firma est, ager vicinus fertilis, ac porro imprimis abun-
dans. Mercatus duos solemnes habet civitas, unum Dominica post Viti, alterum Dominica post
Galli, qui in eos dies reiecti sunt, propter Lipsienses nundinas, opera Hojeri Comitis Mansfeldici
Consiliarii Cæfarei. In hanc urbem convenere anno 1082 Principes Germanie, & Hermann-
num Ducem Lotharingum Comitem Sarapontanum Romanorum Regem designarunt, fixa
etiam illic sede regia. Eum aduersarii per contemptum vocabant Regem porraceum. Sequentē
vero anno Bremensis Archiepiscopus cum Praefule Hildeshemio, qui Henricum Cæfarem leque-
bantur, contractis copiis Islebam obsederunt, & totam, excepta arce expugnarunt, dirupue-
runt, incenderunt, ac vastaverunt. Sed repulsi sunt ab Hermanno Rege. Ferunt ingentem tunc
Frisonorum numerum, qui sub Henrico militabant, ab Hermanno casum esse, ope Ernefti Co-
mitis Mansfeldici, in vico qui inde Frisonum appellatur, die Freystraße. Anno 1362 obfesa est
iterum à Friderico Langravio Thuringiae & Marchione Misniae, fratre eius Ludovico Epi-
scopo Halberstadiensi: arx etiam tunc valide oppugnata. Sed quum expugnare fratres arcem
non possent, ira & indignatio concepta exfluerunt pagos circumiacentes, & ingens damnum
agris intulerunt, templis & cœnobii ex mandato Episcopi relictis integris. In bello autem Ger-
manico anno 1542 Albertus Comes Mansfeldicus, qui ob religionem innovatam proscriptus
fuit à Carolo Cæsare, ipso die S. Ioannis Euangelistæ urbem invasit, arcem occupavit, cives evo-
catos ad sacramentum sibi præstandum aedit, pecuniam & supellecitem pretiosam ex arce ab-
latam Mansfeldiam misit. Idem tamen anno 1550 receptus est à Cæsare in gratiam, & in inte-
grum restitutus. Anno vero 1510 tributus est à Maximiliano I Imperatore Comiti Mansfel-
dia Hojero, atque adeo omnibus hujus ditionis Comitibus, titulus Generosorum; concessumq;
ipsis, ut pro viridi, rubra cera uti ipsi liceret. Hęc urbs Martinum Lutherum orbi dedit anno
1483, parentibus Ioanne Lutheru & Margareta.

Regio est admodum metallifera. Effodiuntur hęc saxa fissilia, illa quia vulgo Scheyffersteyn *Regionis incolae.*
vocant, cuius generis vix alibi in orbe terrarum reperias. Sunt lapides illi cupro prægnantes,
itaque ut igne adusti, macerati que cuprum reddant, atque id non sine maxima argenti copia.
Sed hoc mirandum naturae ludentis spectaculum est, quod idem scribit: esse nempe in hac re-
gione amplissimum & patentissimum lacum, cuius pescium, ranarum, aliarumque reptilium for-
mas atque figuras adeo accurate in ipsis quoque his diuersis saxis effigias atque à natura depi-
tas cernas, ut primò illas dignoscere, atque singulas suis nominibus exprimere queas.

GERMANIA. O

PPN. 236576100

17.11.92 PP

UBB-Halle KS:DII7/1/2

S

BE 1

